

14 Criminalium Lib. Primus.

tur. Præritque Prætor alijs Rotæ Auditoribus durante officio, alijsque honoribus, commodis, & præemi-  
nentijs, quæ huic muneri adiectæ sunt perfruentur.

*Cap. VII. De salario Prætoris, & Auditorum Rotæ.*

Hoc salarium  
fuit auctum vt  
ex l. 1637. fuit  
denuo anno  
1653. ad hoc  
idē scilicet ad  
scuta 600. au-  
rea redactum.

**S**alarium hisce Auditoribus Rotæ Criminalis perfol-  
uatur sexcentorum aureorum annuorum in singu-  
lo trimestri pro rata erogandum ex ærario publico: &  
hoc vltra habitationem, emolumenta, regalia, immu-  
nitates, exemptiones præstari solitas, & consuetas. Cum  
verò munere Prætoris fungetur, vltra sexcentos scutos  
aureos, vt dignitatem officij sui tueri decentius possint  
alios ducentos aureos pro eo anno tantum habeant.

*Cap. VIII. De Iustitia fideliter administranda per  
Pratorem, & Auditores.*

**C**um autem maximè conueniens fit, vt qui alios au-  
toritate sua in officio, & fide continet, & coercet,  
ipse alijs præstantior sit; sciant Prætor & Auditores  
sibi maximè cauendum ne immundas habeant manus:  
sed suis stipendijs, & legitimis honorarijs contenti sint.  
Ad hæc se Æquales, & iustos omnibus præbeant;  
nullam pænitus personarum acceptionem habeant:  
sed omnibus & contra omnes æqua lance iustitiam  
administrent. Quod si secus factum fuerit, vltra  
quod Deum Optimum Maximum occultorum sce-  
lerum grauissimum vltorem, & vindicem experientur,  
seuerè etiam in findicatù rationem reddent; in quo  
nulla habebitur ratio, quod aut metus reuerentialis,  
aut maiorum iussiones interuenerint, aut impedimento  
fuerint.

*Cap.*